17

# Donatio

Belae IV Regis Hungariae super Thymes pro Andrea filio Guantla, primodicto Forgacs.

Bela Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Serviae, Galliciae, Lodomeriae, Cumanorum Rex etc. Omnibus ad quos praesens scriptum pervenerit, salutem in eo, qui Regibus dat Salutem. Regalis providentia se liberalem exhibet universis, excellentiae suae dona distribuit in subditos, tanto munificentiora in devotos, quanto per experimenta virtutum ad fidelitatis opera suos agnoverit promptiores. Ad universorum igitur notitiam harum serie volumus pervenire, quod recedens ad nostram praesentiam Magister, Andreas filius Guantla, fidelis noster, nobis humiliter supplicavit ut terram quamdam Thymes nomine prope terram ipsius, quae Gym dicitur, ubi castrum fieri procuravit existentem sibi conferre, ex plenitudine gratiae Nostrae, solita clementia dignaremur. Nos itaque qui gestis digna rependimus, qui fidelium morum merita justis praemiis compensamus ejusdem Magistri Andreae servitia ut aliis exemplum fierent, in animum duximus revocanda. Inter quae, quod erat inter omnia ejus servitia praecellentius, et quod praeferentius, referemus: Cum enim in foro nobis ex nostris, ut credimus ex divina ultione gravis instaret persecutio Tartarorum et equus noster cui insidebamus illi attraheret quasi fessus, idem Andreas ex speciali fidelitatis ardore, quantum in ipso erat, nostram suae praeponeret salutem, equum quem habebat agilem, et velocem nobis tradidit libera voluntate, ipso et fratre suo pedestribus derelictis in quo casu frater ejus per Tartaros extitit interemptus. Ad haec idem Magister Andreas ingi laborum instantia, et sollicitudine diuturna

per eundem montem, transiens prope castrum, quantus jactus lapidis parvi potest fieri per manum, et ibi paulatim procedendo sunt duæ metæ terreæ constitutæ. Hinc etiam tenens terminos cum eadem terra Koszolan, procedit incontinenti per Berch, et descendit in villam usque ad terram Zedecz, villæ videlicet Archi Episcopi Strigoniensis, ubi sunt duæ metæ de terra fundatæ. Ibi autem adjacens eidem terræ Sedecz, extenditur ulterius sicut visu percipi potuit, per spatium, quantum extractus arcus Sagittarorum potest capere duplicatus, et ibi sunt duæ metæ angulares terreæ. Hinc vero excedens per quandam semitam, inter silvas incipit tenere terminos cum Villa Nemesicz, et ibi - - - - - ex parte sinistra versus meridiem habita quondam meta terrea, quæ tenet terminos inter Villam Nemesich, et villam Ganz. Postmodum autem tendit ad quandam metam terream, distinguentem videlicet terram Thymes, a terra Ganch; dehinc etiam progreditur usque ad alteram metam juxta rivum Ulayos vocatum, abhinc ipsum rivum transiens, procedit usque ad magnam viam, quæ ducit ad Nitriam, ubi est meta de terra facta. Hinc procedens, regreditur ad priorem metam, unde prius inceperat, ubi ut supra dictum est, sunt tres metæ de terra erectæ: hoc itaque circuitu totaliter terminatur. Ut igitur presens donatio robur obtineat perpetuæ firmitatis, ne in posterum valeat quolibet modo impugnari, presentes literas concessimus, duplicis Sigilli munimine roboratas. Datum per manus Magistri Smaragdi Præpositi Albensis, Aulæ nostræ vice-Cancellarii dilecti et fidelis nostri. Anno Domini Millesimo Ducentesimo Quinquagesimo Sexto, Regni autem nostri vigesimo primo.

castrum Thurocz munitiſsimum fecit construi in nostro dominio semper permansurum, ubi quam plurimi nostrorum ad tutiorem poterant collocari: quod sibi similiter ad maxima fidelitatis indicia reputamus. Haec igitur, et alia fidelitatis ipsius merita, quae disserere per singula longum eſset, tota benignitate pensitantes, ut ipsius exempli similitudine caeteros ad fidelitatis opera promptius accendamus, petitioni ipsius hac in parte, favore debito duximus concedendam terram Ghymes adjacentem terrae suae Gym, ubi ut praemisimus castrum habet, sibi et per eum suis haeredibus, haeredumque succeſsoribus conferimus, cujus siquidem Metae, sicut Venerabilis in Christo Pater Episcopus Nitriensis nobis scripsit, taliter distinguuntur. Prima meta incipit a terra Villae Colon Ecclesiae Zoboriensis in loco, ubi sunt tres metae de terra erectae. Hinc autem progrediendo tendit sursum per geminas metas ad montem Pliska vocatum, et ibi per cacumen montis ejusdem legitime interpositis procedens descendit ad quandam metam terream inferius, ubi consignatur terra ipsius Magistri, a qua similiter nuncupatur Ghymes, quam ex donatione Regia poſsedit. Hoc descendit in quandam viam, in formam Crucis factam, quae vulgo Keneſs Crux dicitur, et per unam partem ejusdem viae reflectitur versus castrum ejusdem Andreae ad quendam rivulum Utyos nuncupatum, et sic continuata utraque terra Ghymes; scilicet tam ista quam illa tendit superius per metas legitimas usque ad summitatem montium, qui Berch vocantur, et per idem Berch conterminat terra Nobilium de Villa Elephant, et sic cum iisdem tenens terminos, procedit per Berch usque ad terram Koſzrolan, emptitiam videlicet Magistri supradicti, ubi sunt duae metae angulares de terra formatae, ubi autem eadem terra Koſzrolan reclinat versus montem Ghym, in quo est castrum supradictum, et sic procedens per duplices metas ascendit

## Memorabilia

Andreas Comes de Banya 1250 exstruit arcem Thymes.
Primus cognomen Forgach aſsumit.
Emit 1226 terram Thymes.

Blaſius Forgach Scutum Gentilitium Hunt. Pazna-
norum 1385 obtinet mutari in hodiernam
foeminae faciem.

Hanc Joseph animo peramico tolle papyrum
Quam seſsi potuit nunc dare dextra senis
72. ao. aet.

G. K.